

peria, ac plerisque ad finem vitæ in ijsdem exercitijs, aut iurisdictionibus habere. Causæ variæ traduntur: alij tædio nouæ curæ, semel placita pro æternis seruauisse: quidam inuidia, ^a ne plures fruerebantur. sunt qui existiment, ^b vt callidum eius ingenium, ita anxium iudicium. ^c neque enim eminentis virtutes sectabatur; & rursus vitia oderat. ex optimis periculum sibi, à pessimis ^d dedecus publicum metuebat. qua hæsitatio-
ne ^e postremo eò prouectus est, vt mandauerit quibusdam prouincijs, quos egredi vrbe non erat passurus. De comitijs consularibus, quæ tum primùm illo principe, ac deinceps fuere, vix quicquam firmare ausim: ad eò diuersa non modò apud autores, sed in ipsius orationibus reperiuntur. Modò subtractis candidatorum nominibus, originem cuiusque & vitam, & stipendia descripsit, ^f vt qui forent ^g intelligeretur: aliquando ea quoque significatione subtracta, candidatos hortatus, ne ambitu comitia turbarent, ^h suam ad id curam pollicitus est. plerunque eos tantùm apud se professos disseruit, quorum nomina consulibus edidisset. posse & alios profiteri, si gratiæ, aut meritis confiderent. ⁱ spe-

OBSERVATIONES.

a Minor videtur esse inuidia si bono, aut honore aliquo vnus diu fruatur, quàm si minori spatio temporis multi.

b Cuius callidum est ingenium, huius anxium solet esse iudicium de iis, quorum opera necessariorum vitur.

c Etsi princeps odit vitia, non tamen eminentes virtutes plerunque sectari solet. siquidem à præstantibus hominibus periculum sibi fore suspicatur. Non igitur causa est, quapropter mirentur homines virtute præstantes si non, quo digni sunt, loco apud principes sunt; atque ex suis virtutibus ornantur; siquidem, vt diximus, non minus metuuntur virtutes, quàm exosa sunt vitia; & vt Sallustius ait in Coniurat. Catil. Regibus boni, quàm mali suspectiores sunt; semperque his aliena virtus formidolosa est.

d Cum publicum dedecus à pessimis hominibus merito metuendum sit, diligenter princeps videre debet, quibus dignitates mandat.

e Hic callidissimorum principum mos est, vt, cum eminentes virtutes metuant, vitia item ad vitandum publicum dedecus oderint, diu quibusnam prouincias, maximique momenti negotia committant, hæsitent; qua hæsitatio eò tandem proueniunt, vt, quos tam ob vitia, quàm ob maximas virtutes suspectos habuerunt, hos tandem summus afficiant beneficis, magnisque extollant honoribus; nempe, vt se omni suspitione pariter exoluant, ac periculo.

f Certa demonstratio (vt est apud Iurisconsultos) est vice nominis, vel sic; Eius nomen nomino, quem ita describo, vt ea descriptio conueniat, præter ipsum, nemini.

g Cum in comitijs agitur de iis, qui honore sunt honestandi, singulorum facta, & virtutes enumerare, quàm nomina proferre præstat.

h Nouus princeps mirum in modum conciliat sibi nobilium beneuolentiam, si sua gratia, & studio, in adipiscendis honoribus, iuuat eos, qui ipsius gratia, aut proprijs meritis confidunt.

i Tyrannus plerunque multa dicit speciosa verbis, quæ re ipsa inania sunt, aut subdola.